

PARS PRIMA.

ECCLESIAE CHRISTI NOTIO.

12. — **Hujusce partis distributio** : — Quum vera Ecclesiae notio è quaestione de auctoritate tota pendeat (n. 10), tota nobis res erit in inquirendo 1° an auctoritas illa tum doctrinalis tum legislativa existat; 2° ubinam resideat; 3° quonam modo sese exerceat, et 4° quamnam in mundo efficaciam reapse habitura sit. — Unde quatuor capita.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA AUCTORITATIS IN ECCLESIA CHRISTI.

13. — **De quanam auctoritate primum sit agendum** : — Agendum est in hoc capite de auctoritate tum doctrinali tum legislativâ : incipere autem expedit ab auctoritate doctrinali; quippe quæ semel probata inservire poterit, imò et sufficere, ad posteriorem probandam. Non mirum autem si quædam in decursu argumenta occurrant quæ in utriusque causam simul faciant aut repetenda sint. — Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

DE EXISTENTIA AUCTORITATIS DOCTRINALIS.

14. — In quo consistat *infallibilitas* auctoritatis doctrinali vindicanda? — 15 — Quomodò à Deo ei procurari possit? — 16 — PROPOSITIO: *Existit, apud Christianos, auctoritas in docendâ Christi doctrinâ infallibilis*; etenim, ASSERTIO 1^a: *Talis à Christo instituenda fuisse videtur*; siquidem — 17 — nec *Scriptura*, — 18 — nec *Inspiratio*; sed — * 19 — *Auctoritas aliqua vivens et infallibilis medium videtur convenientissimum et à Christo ordinatum ad conservationem christianæ Religionis in mundo*. — ** 20 — *Observationes ad solvendas objectiones tum veterum, — ** 21 — tum recentiorum Protestantium*. — 22 — ASSERTIO 2^a: *Auctoritas in docendâ Christi doctrinâ infallibilis reverè instituta est apud Christianos*; prob. è *Scripturâ*, — * 23 — è *Traditione*. — 24 — *Observatio*: Quisnam jam nunc esse possit illius thesæos usus?

14. — **In quo consistat infallibilitas huic auctoritati vindicanda**. — Auctoritas porro doctrinalis de quâ inquirimus, est auctoritas cui, in accipiendâ doctrinâ Christi, planè fidere possimus (V. suprâ, n. 8). Id autem fieri tantum poterit, modò illa doctrinalis auctoritas sit in hoc *infallibilis* (1), id est, modò doctrinam Christi neque

(1) « *L'infaillibilité*, dans l'ordre spirituel, inquit J. de Maistre, et la » *souveraineté*, dans l'ordre temporel, sont deux mots parfaitement syno- » nymes..... Quand nous disons que *l'Eglise est infallible*, nous ne » demandons pour elle, il est bien essentiel de l'observer, aucun privilège » particulier; nous demandons seulement qu'elle jouisse du droit commun » à toutes les souverainetés possibles, qui toutes agissent nécessairement » comme infallibles; car tout gouvernement est absolu; et du moment où » l'on peut lui résister sous prétexte d'erreur ou d'injustice, il n'existe » plus.

» La souveraineté a des formes différentes, sans doute. Elle ne parle » pas à Constantinople comme à Londres; mais, quand elle a parlé de » part et d'autre à sa manière, le *bill* est sans appel comme le *fetfa*.

« Il en est de même de l'Eglise..... » (*Du Pape*, l. I, ch. 1^{er}). — Hæc autem quæ ab inclyto auctore præfractæ, pro suo more, scripta, ideo variè à variis exagitata sunt (V. ap. *Etudes des R. P. Jésuites*, nov. 1869, p. 765), ita rursus exponit ac elucida Em. hodie Card. Guibert, Archiep.

diminutione neque additione adulterare possit (1). Si enim doctrinam Christi integram tantum et absque diminutione traderet, equidem jam non opus esset exterius quærere; certum quippe foret omnem illic Christi doctrinam essentialem tradi; sed necesse tamen remaneret ea quæ sic traderentur, examinare, et, sive discussionis sive præscriptionis ope, genuina à spuriis quæ immisceri potuissent,

Parisiensis (*Mandement du 11 avril 1872, pour la publication des décrets du Conc. du Vatican*):

« Dans toute société bien ordonnée, il faut bien qu'il y ait au sommet
 » un pouvoir chargé de décider en dernier ressort, une juridiction souveraine
 » qui prononce sans appel et dont la sentence ne puisse être infirmée. Que
 » vous considérez l'ordre législatif, l'ordre judiciaire ou l'ordre adminis-
 » tratif, partout vous arriverez, de degré en degré, jusqu'à cette première
 » autorité résidant dans un homme ou dans une assemblée ayant le droit
 » de rendre des arrêts définitifs, de prendre des déterminations qui font loi,
 » ou encore d'interpréter authentiquement le sens des règles anciennes,
 » sans que personne puisse être admis à s'inscrire en faux contre la sen-
 » tence rendue. Il faut qu'il en soit ainsi pour terminer les procès, pour
 » mettre fin aux luttes et clore toute discussion; autrement l'ordre serait
 » perpétuellement troublé, le droit constamment litigieux, la propriété tou-
 » jours incertaine.

« Nous n'entendons point soutenir qu'un tribunal humain, prononçant
 » sur des intérêts temporels, soit à l'abri de toute erreur; mais si nous
 » sommes obligés d'accorder à ses arrêts, comme condition d'ordre public,
 » une sorte d'infailibilité de fait, comment pourrions-nous penser que
 » cette garantie manque à la société spirituelle fondée par Jésus-Christ
 » pour servir de type et de modèle aux associations humaines? Il y a
 » toutefois entre ces deux ordres de choses une différence essentielle;
 » car, si l'infailibilité hypothétique suffit pour la conservation de la so-
 » ciété civile, le privilège de l'inerrance véritable et réelle est nécessaire
 » dans la société spirituelle, où les jugements de l'autorité obligent la
 » conscience et imposent la soumission intérieure de l'esprit.

« Pour les enfants de l'Eglise, le premier bien, c'est la foi; et Jésus-
 » Christ a voulu leur assurer la possession certaine et clairement définie
 » de ce qui doit être l'objet de leur croyance..... »

(1) « Neque additamentum neque ablationem recipiens... » ut ait S. Irenæus: *Contra Hæreses*, l. IV, c. xxxiii, n. 8; cfr et jam l. I, c. x, n. 2,

discernere. Si autem puram quoque et absque additione tradat, jam nec illo etiam examinis ac discretionis labore opus erit, certum enim erit nihil illic tradi in nomine Christi, quod de Christi doctrinâ non sit. — Utrumque igitur sub *infallibilitatis* nomine jam nunc intelligi volumus ac præ oculis haberi ut præcaveantur adversariorum effugia, qui nempe quædam forsân de Ecclesiæ auctoritate argumenta ultrò concederent, sed ea interpretari conarentur de quâdam tantum indefectibilitate in perpaucis articulis, ut aiunt, fundamentalibus (1).

15. — Quomodo procurari possit à Deo infallibilitas. — Non immorandum est certè in probanda infallibilitatis *possibilitate*. Naturaliter enim homo quisque in iudicando vel in loquendo quâdam gaudet infallibilitate *conditionatâ*; neque enim falli neque fallere potest si debitas adhibeat condiciones ad pronuntiandum internè velexternè; et, secus, omni certitudini atque omni veridicitati valedicendum foret (2). Ut quis igitur sive homo sive hominum

(1) Ita, v. g., minister Jurieu sæpe in decursu citandus: *Le vrai système de l'Eglise*, l. II, ch. 1, p. 236 (edit. 1686).

(2) Idem dicendum est à fortiori de cœtu hominum, qualis est Christianorum cœtus seu Ecclesia. Quæ proinde hoc sensu habet quamdam etiam infallibilitatem naturalem, ubi nempe quâdam in ejus testimonio, sive quatenus *historico*, sive quatenus *doctrinali*, reperiuntur *conditiones*. (Circa hanc auctoritatem naturalem Ecclesiæ ab infallibilitate proprie dictâ distinctam et independentem, cfr de Lugo: *De fide*, disp. I, n. 250, et suprâ n. 32; Conink, item, disp. IX, n. 68-70.) — Per hanc potissimum Ecclesiæ auctoritatem naturalem jam in *Tr. de verâ Relig.* rationabiliter inducti sumus ad credendum Evangelio, et sæpe certè per eandem satis rationabiliter induci possumus ad credendum tali vel tali Evangelii interpretationi, quam nempe tanta sapientium hominum congregatio testatur sive ab Apostolis accepisse sive ex ipsâ Evangelii lectione clarè percepisse. Hoc itaque sensu, ut suprâ citati auctores observant, S. Augustinus ita adversus Manichæos argumentatur: « Evangelium mihi fortasse lecturus es, » et inde Manichæi personam tentabis asserere..... Ego verò Evangelio » non crederem, nisi me catholice Ecclesiæ commoveret auctoritas. Qui-

cœtus fiat infallibilis absolutè, sufficiet Deum sese obligasse ad providendum efficaciter ut sive ille individuus homo, sive illorum individuorum, ubi de cœtu agitur, major saltem numerus adhibeat reverà supradictas conditiones. Ad hoc porro non necesse erit mentes actione extraordinariâ illuminari, ut fit in *revelatione* (V. *Tr. de verâ Relig.*, n. 14), neque etiam semper positivè impelli ad attendendum vel loquendum (quod esset propriè *inspiratio*); satis erit autem si Deus sinat quidem homines attendere aut loqui sponte suâ naturali quotiès recta erit; quotiès verò illos Ipse viderit deflexuros ad negligendam veritatem aut concipiendum vel proferendum errorem, interveniat actione quâdam extranaturali, etiamsi occultâ, ad id impediendum. — Hæc est quæ dicitur *assistentiâ*, quamque in Ecclesiâ exerceri probabit sequens

16. — Propositio : *Existit, apud Christianos, auctoritas in docendâ Christi doctrinâ infallibilis.*

Talis enim auctoritas 1° à Christo instituenda fuisse videtur, et 2° ab ipso reverà instituta est. — Et primùm probatur

Assertio 1° : *Auctoritas in docendâ Christi doctrinâ infallibilis à Christo instituenda fuisse videtur (1).*

» bus ergo obtemperavi dicentibus : Crede Evangelio ; cur eis non obtemperem dicentibus mihi ; Noli credere Manichæis ?... » (*Contra Epistolam Manichæi*, c. v, n. 6). — Et generatim SS. Patres hæreticos in multis aequè ferè premere solent tum ex impossibilitate naturali adulterationis in doctrinâ Ecclesiæ ad eorum usque tempora, attentâ episcoporum successione et consensione, tum ex impossibilitate supernaturali adulterationis in quovis tempore, attentâ Spiritûs Sancti assistentiâ in perpetuum promissâ ; imò et utrumque istum argumentandi modum aliquando permiscere videntur, licèt distincta utriusque fundamenta noverint, ut videre erit infra.

(1) Hanc assertionem quam varii theologi tractare solent variis sub titulis, v. g., *de necessitate judicis controversarium* seu *regulæ fidei*, etc., nos, exemplo plurium theologorum, putâ, Bellarmini, Tournely, La Hogue,

Quemadmodum enim doctrina satis certa atque completa ad finem etiam naturalem, — multò magis ad finem, si detur, supernaturalem, — non potuisset apud genus humanum haberi nisi Rationi addita fuisset Revelatio (V. *Tr. de verâ Relig.*, n. 23, etc.), ita et doctrina hæc semel revelata non poterit ibidem diu *integra ac pura* servari, nisi Revelationi adjectum sit speciale aliquod *medium* conservationis. — Secùs quippe, doctrina hæc, ex unâ parte, multis *diminuetur* veritatibus propter hominum incuriam et hebetudinem in discendo, inertiam et ignaviam in transmittendo, impotentiam in persuadendo ; — itemque, ex alterâ parte, tantis *augebitur* erroribus, ob varias hominum libidines, ut mox videatur vitio aequè ferè ac virtuti inservire, et, penè indiscernibilis facta, passim à sapientibus contemnatur et negligatur.

Et id certè, quasi è consilio Dei, *confirmatur* exemplo Religionis primævæ, quæ nempe, quum nullo ejusmodi medio præmunita, humanis tantùm fuisset permissa fati, mox plurimis diminuta est veritatibus et aucta erroribus. Quantò autem magis itidem evenisset de Religione quæ jam non paucis tantùm et facillimis continebatur articulis, sed in complexionem creverat dogmatum et præceptorum adeò latam, altam et profundam !... Ergo profectò doctrina per Christum revelata non potuisset integra ac pura conservari in terris, nisi ipsi adjunctum esset speciale aliquod conservationis medium.

Quodnam vero *medium* ? Num *scripta* semel monumenta ? An frequens et quasi continua *inspiratio* ? aut demum aliqua vivens *auctoritas* ? Nullum siquidem præter hæc tria excogitatur aut profertur. Unde, si nec primum, nec secundum, absque tertio, conveniens appareat et ad Religionis

Perrone, Wiseman, Bouvier, etc., utiliter præmittendam censemus alteri assertioni, quæ de positivâ à Christo institutione est : sic enim efficacius præparantur animi, profit supra in *Præfatione* observatum est.

christianæ conservationem ordinatum, tunc dicendum est (in quantum dijudicare possumus) tertium fuisse à Christo adhibendum, — vel Christum de Religionis suæ conservatione minimè curasse. — Porrò

17. — 1° *Scripta tantum monumenta non sunt medium per se conveniens et à Christo ordinatum ad Religionis suæ conservationem.*

Illud enim probari potest sive respiciendo ad scripta in genere, sive speciatim ad illa quibus Religio christiana contenta perhibetur. Etenim

1° Scripta, qualiacumque dentur, cuique semper erunt — 1 — inveniendi in completum et ab omni spurio discernenda, — 2 — deinde legenda, et — 3 — intelligenda demum ac pro necessitatibus temporum evolvenda, simulque à pravis defendenda explicationibus.

Atqui sanè vix fieri potest ut multiplici huic labori quisque sufficiat, sive per se solum, sive etiam cum auxilio aliorum hominum, fallibilium æquè nec certè semper concordium; ideoque religio scriptis tantum commissa multum periclitabitur ne tota ferè in incertitudinem abeat pro pleisque hominibus (1).

(1) « Les philosophes de l'antiquité ont bien senti la faiblesse, j'ai presque dit le néant de l'écriture dans les grandes institutions; mais personne n'a mieux exprimé cette vérité que Platon, qu'on trouve toujours le premier sur la route de toutes les grandes vérités. Suivant lui, d'abord, « l'homme qui doit toute son instruction à l'écriture n'aura jamais que » l'apparence de la sagesse. La parole, ajoute-t-il, est à l'écriture ce qu'un » homme est à son portrait. Les productions de la peinture se présentent » à nos yeux comme vivantes; mais si on les interroge, elles gardent le » silence avec dignité. Il en est de même de l'écriture qui ne sait ce qu'il » faut dire à un homme, ni ce qu'il faut cacher à un autre. Si l'on vient » à l'attaquer où à l'insulter sans raison, elle ne peut se défendre; car » son père n'est jamais là pour la soutenir. De manière que celui qui s'i- » magine pouvoir établir par l'écriture seule une doctrine claire et durable, » est un grand sot (mot à mot: *regorge de bêtise*). S'il possédait réel- » lement les véritables germes de la vérité, il se garderait bien de croire

Ergo 1°, si consideratur quid sint scripta *in genere*, tale medium non videtur per se conveniens. Itidem certè non videtur à Christo ordinatum ad conservationem Religionis suæ, si attendatur 2° ad illa *speciatim* Scripta quibus hæc Religio contenta perhibetur.

Quod ut magis clarescat, hic pensare est tum *facta* quæ omnibus patent, tum *difficultates* quæ ex iis exsurgunt quoad Scriptorum illorum usum, tum demum *consequentia* quæ inde fluere debent quoad Religionis conservationem. — Et quidem primum

Facta: — Christus nempe dogmata atque præcepta non systematicè aut quasi compendio redacta docuit, neque quid certè scripto Ipse reliquit; Apostoli verò ea primum ore etiam tradiderunt, nec statim nec omnia scribere curarunt (1): quæ autem scripsère (V. suprâ, n. 3), scripsère — 1 — non in uno libro sed *in pluribus*, — 2 — non ordinatim sed *sparsim*, — 3 — non exponendo tanquam *ex professo*, sed *memorando* potiùs et *alludendo* tanquam rebus aliàs explicatis, — 4 — neque demum ad omnes omnium sæculorum homines respiciendo, sed *pro necessitatibus et controversiis* sui temporis, ut norunt quicumque Scripturas eorum legerint. — Nec aliter ferè, post Apostolos, egère Patres. — Unde factum est ut varii doctrinæ christianæ articuli in variis existant dispersi monumentis (2), de qui-

» qu'avec un peu de liqueur noire et une plume, il pourra les faire ger-
» mer dans l'univers, les défendre contre l'inclémence des saisons et leur
» communiquer l'efficacité nécessaire. Quant à celui qui entreprend d'écrire
» des lois... et qui se figure que, parce qu'il les a écrites, il a pu leur
» donner l'évidence et la stabilité convenables, quelque puisse être cet
» homme, particulier ou législateur, et, soit qu'on le dise ou qu'on ne le
» dise pas, il s'est déshonoré (par son ignorance des choses). » — J. de
Maistre: *Principe générateur des Constit.*, § XIX; — Platon: *Phædr.*,
in fine.

(1) Cfr S. Chrysost.: Homil. I *in Matth.*, n. 4.

(2) Exstat quidem quoddam ab omni antiquitate compendium doctrinæ, quod dicitur *Symbolum apostolorum* (Circa ejus originem V. Blanc :

bus non planè convenit inter varias christiani nominis communionés; siquidem nec de numero et partibus *Librorum*, ut aiunt, *canonicorum*, i. e., absolutam auctoritatem doctrinalem habentium (V. suprâ, n. 3), nec de gradu auctoritatis uniuscujusque exinde *Patris*, nec demum de interpretatione et sensu horum omnium monumentorum, inter se concordant. — Inde autem

Difficultates: — siquidem, his positis, nemo ferè erit — 1 — qui sibi conscius esse possit sese *omnia collecta habere monumenta* in quibus dispersi jacent varii doctrinæ christianæ articuli etiamque forsàn maximè graves. Quædam enim quidem ex iis monumentis, præsertim è Scripturis canonicis, authenticitatem et consequenter veracitatem historicam atque etiam doctrinalem satis perspectam habent, uti in *Tr. de verâ Religione* videre fuit (P. II, s. II, c. II); quædam autem sunt, etiam è Scripturis canonicis (V. ibid. p. 169, *not.*), de quorum origine et auctoritate olim dubitatum est vel hodieum inter varias Christianorum communionés ambigitur, ita ut de iis non absque eruditis disquisitionibus, vel potiùs, ubi de canonicis agitur, non absque auctoritatis alicujus irrefragabilis sententiâ decisio haberi possit (1). In his tamen sicut in illis articuli forsàn reperiri possunt essentialés aut ad determinandum articulorum essentialium sensum maximè necessarii.

Cours d'hist. ecclés., lec. VI, 5, et auctores ibid. indicatos). Nihil autem indicat nullum articulum fidei christianæ essentialém in eo omitti; imò suspicari est nonnulla gravissimi momenti dogmata in illo taceri certis de causis: profectò autem ea ipsa quæ exprimuntur, sæpe necesse habent ut determinentur aliunde ad talem vel talem sensum. Non igitur illud Symbolum haberi posset tanquam Religionis christianæ summa per se sufficiens. Cfr Stapleton: *Controv.*, I. VII, c. I.

(1) Unde rectè D. Wallon: « Hors de l'Eglise, point de Canon. » (*Vie de N. S. Jésus-Christ; Introd.*, p. 41); — etiam seclusâ quæstione *inspirationis*, quæ nondum nobis impræsentiarum necessaria est. V. suprâ, p. 3, *not.*, 2.

Item — 2 — nemo ferè erit qui, etiamsi ea omnia monumenta habeat collecta, possit per se *omnia legere*, maximè quum linguis scripta sint perantiquis, quarum interpretatio tuta requirenda est. — Et certè, licèt plurima sint, maximè in historicis, circa quæ, omnibus consentientibus, nulla moveri potest suspicio; quædam tamen sunt, et quidem magni momenti atque in iis præsertim quæ ad doctrinam attinent, in quibus de verâ lectione et interpretatione ipsi eruditi disputant (1).

Nemo demum — 3 — certè erit qui, etiamsi ea omnia legerit et tutò interpretata habuerit, ea possit *intelligere* et dogmata atque præcepta hinc et illinc dispersa eruere, atque in consequentias evolvere. Licèt enim quædam sint in Scripturis et Traditione satis per se pro animo rectè disposito clara et obvia (suprà n. 4 et 7), multa profectò obscura manent et hominibus plerisque inextricabilia (2);

(1) V. nonnulla exempla ap. Nicole: *les Prétendus réformés convaincus de schisme*, 1^{re} p., ch. VII, p. 76 et ss.

(2) De Scripturâ speciatim, rectè quidam scriptor protestans: « Un livre, » quelque infaillible et divin qu'il soit, ne peut être juge en dernier ressort en fait de matières de foi, s'il n'est, ainsi que les *Eléments de géométrie*, fait de telle sorte que tous ceux qui le lisent et le comprennent, » s'en forment non-seulement la même idée, mais y puisent leur conviction d'une manière si claire et si entière que l'équivoque ou le doute soit impossible, et que le sens ou les mots ne puissent prêter à la moindre » obscurité. Si un semblable livre est possible, c'est une question à laquelle je ne répondrai pas. Mais qui pourrait nier que la Bible n'est » pas ce livre? » — Wieland: *Vermischte Aufsätze (Mixtæ propositiones)*, cit. ap. Hœninghaus: *Retour à l'unité cath. par le Protest. ou la Réforme contre la Réforme*, ch. II, — t. I, p. 42. — Circa obscuritates Scripturæ, V. Bonfrerium: *Præloquia in Script. sacram.*, c. IX (ap. Migne: *Script. sacr.*, t. I, p. 141 et ss.), qui speciatim Patrum dicta de hac quæstione in viginti classes distribuit (ibid., p. 144 et ss.). — Quibus sanè non contradicunt ea quæ iidem Patres interdum, quando nempe Fideles ad lectionem Scripturarum hortantur, oratoriè dixerunt de simplicitate Scripturarum comparatè ad philosophos (S. J. Chrysost.: *De Lazaro*, *Concio III*, n. 3), imò et de earum claritate, in quibusdam scilicet,

et nullum certè est punctum de quo non disputatum sit inter eos qui Christi discipulos se ferunt : quis autem poterit sese ab iis expedire contradictionibus circum undique strepentiibus?... (1).

Triplex digitur difficultas seu potiùs impossibilitas, attento modo quo data est Revelatio christiana, hominibus sibimet derelictis vel humana tantùm auxilia invocantibus eminebit, tum nempe ut monumenta quibus illa continentur, colligant et discernant, tum ut ipsa legant et interpretentur, tum demum ut illinc doctrinas Christi intelligant, eruant et evolvant. — Atqui inde plures rursus sequentur

Consequentia : — scilicet — 1 — *anxietas animorum*, quum nemo ferè sit qui tutò ac securè possit sibi conscius esse quod summam Religionis christianæ teneat totam et qualem Christus teneri intendit :

Item — 2 — *errorum indefinita pullulatio*, siquidem multi certè, propter illam incertam et incompletam documentorum Christi cognitionem, ea in varios distorquebunt

puta in historiis (Id. in II ad Thess. Hom. III, n. 4) aut exhortationibus ad virtutem (Id. De Lazaro, loco cit.). — Hæc et similia V. ap. Nat. Alex. jam cit. : *De Tradit. non scriptis*, Migne : *Theol.*, t. XXVI, p. 956 et ss ; — vel ap. Perrone : *De locis theol.*, p. II, n. 468 et ss.

(1) Hinc S. Vincentius Lirinensis : « Hic forsân requirat aliquis : Cùm » sit perfectus Scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas ? » Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsâ suâ altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit ; aliter Arius, Eunomius, Macedonius ; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus ; aliter Jovinianus Pelagius Cælestius ; aliter postremò Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut prophetiæ et apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur. » *Commonitorium*, c. II (ap. Migne *Theol.*, t. I, p. 913).

sensus et varias consequentias longè à Christi mente aberrantes :

Unde — 3 — *divisio immedicabilis*, ita ut nulla ferè jam appareat unitas inter eos qui Christi discipulos se ferent, sed conflictatio universalis sectarum sese veluti ex æquo destruentium ; inter quas nulla consequenter supereminet auctoritas etiam humana, per quam simplices juvari queant atque ad verum adduci :

Unde tandem 4^o fides abibit in *opinionem*, quam quisque etiam vix tueri audeat (1), vel in *dubium penè universale* mergetur, in quo jam Religio christiana non nisi nomine subsistet.

Ergo certè, si attendatur ad illa speciatim Scripta in quibus Religio christiana contenta perhibetur, patet ea — quantumcumque cæterum sancta et utilia (II Tim., III, 16) — non potuisse à Christo et Apostolis ordinari tanquam medium per se sufficiens ad hujus Religionis conservationem.

Et sanè conclusio valdè *confirmatur è factis*, exemplo scilicet Protestantium, quippe qui, ubi è scriptis tantum, maximè sacris, suam religionem haurire voluerunt, eò brevi devenerunt ut nullam reapse haberent religionem communem. — « J'écrirais sur l'ongle de mon pouce, in- quiebat jam in 1^a parte hujus sæculi theologus protestans Harms, tout ce qui reste de dogme généralement cru » dans l'Eglise protestante (2). »

18. — II^o *Inspiratio aut quodlibet ejusdem generis auxi-*

(1) Hinc minister Channing omnem intolerantiam, non modò civilem (quam postea per modum *Appendicis* expendemus) sed etiam ecclesiasticam et theologicam, repellit tanquam nimis præsumptuosam « pour des » êtres d'une nature frêle et faillible comme la nôtre, et auxquels la sincérité dans les jugements a été enseignée comme un devoir ; etc..... » *Le Christianisme unitaire*, p. 48 — Cfr et ibid : *Lettre sur les Credo ou Symboles et Confessions de foi*.

(2) Ap. Alzog. : *Hist. de l'Egl.*, t. III, § 420.

lium cuique passim desuper dandum non est medium per se conveniens et à Christo ordinatum ad Religionis suæ conservationem.

Tale quippe auxilium, — sive *inspiratio* dicatur, sive *assistencia* (licet sanè pro plebeis et simplicibus non sufficeret simplex *assistencia*, de quâ V. suprâ, n. 15), sive etiam *Spiritus Sancti afflatus, radius, instinctus, gustus interior*, uti variis Protestantibus placet, — cuique desuper à Deo offerri oporteret, in quantum opus est ut homo Religionem christianam ex se inveniat, aut saltem ut Scripturas quibus illa continetur, discernat, legat et intellegat (1). Porro talis hypothesis, vel à priori considerata,

(1) Ita non pauci ab initio Reformationis, uti Anabaptistæ ac dein Menonitæ, Quakeri, etc., qui omnes generatim eò etiam devenire ut Scripturarum cognitionem inspiratione non adjuvandam modò sed supplendam ferè putarent (V. ap. Mœhler : *Symbolique*, t. II, § LVIII, LXV), imò nonnunquam, cum Münzer et primis Anabaptismi asseclis, Bibliam apertè despicerent : « *Bibel, Babel.* » (V. Audin : *Hist. de Luther*). — Ita quoque, licet moderatius, multi passim Protestantium tum veterum, tum recentiorum, ubi urgentur præ difficultate sive intelligendi, sive legendi vel etiam discernendi sacros Libros (V. Confessionem fidei Calvinianorum è Galliâ, a. 1659, art. 4., cit. ap. Bossuet : *Hist. des Variations*, l. XV, n. 114 ; et cfr dein ministrum Claude. : *Déf. de la Réformation*, cit. ap. Nicole : *Les Prétendus réformés*, 1^{re} p., c. v ; itemque min. Jurieu : *Le vrai syst. de l'Eglise*, l. III, ch. II, cit. ap. Bossuet, *ibid.*, n. 112 et 6^e *Avertiss.*, n. 23). Inde multi recentiorum eò deducti sunt ut eas tantum Librorum sacrorum partes pro canonicis haberent, quæ ipsis interiùs *divinum saperent*. (V. ap. *Etudes des R. P. Jésuites*, a. 1862, p. 518 et ss., quasnam per angustias eluctatus sit D. Scherer, adhuc theologiæ protestantiæ professor, ut ad id deveniret quod rectè dicitur *l'assimilation fragmentaire*).

Nec solùm in discernendo quid credant, sed etiam in dignoscendo an justificentur, testimonium Spiritus Sancti certò sibi affore confidunt ii speciatim qui dicuntur *Methodistæ*. V. ap. Mœhler : *Symbolique*, t. II, § LXXV, p. 308. — Unde, in Americâ præsertim, spectacula prorsùs curiositate digna, circa quæ V. D. Martin : *Avenir du Protestantisme*, p. 62, vel imprimis excerpta ex ipsâ *Autobiographiâ Petri Cartwright « prædicatoris sylvarum,* » in opusc. D. Delière, presb. Pictav. : *S'il est né-*

repugnat solitis Providentiæ viis ; — à posteriori autem, omninò à Christi ordinatione aliena probatur è factis.

Et quidem 1^o, à priori, repugnat solitis Providentiæ viis. Habet enim suas, vel in ordine supernaturali, Providentia vias, à quibus recedere non solet, uti testatur experientia. Inter has autem eminet imprimis illa præsentis humanitatis statui accommodata œconomia (V. quæ dicta sunt in *Tr. de verâ Relig.*, n. 31), juxta quam Deus modos agendi præferre solet magis simplices et minùs apparentes, neque ultra id quod ad scopum suum necesse est, miracula multiplicare, aut libertatem humanam cogere vel tollere. Sic enim non modò attingit à fine ad finem fortiter, sed et disponit omnia suaviter (Sap., VIII, 1). Ideoque, etiamsi diversæ forsàn ad scopum Christi obtinendum hypotheses excogitari possint, *improbabiles* tamen à priori habendæ erunt quotquot huic œconomiae minùs conformes apparebunt, antequàm etiam *falsæ, à posteriori*, demonstrantur.

Atqui supradicta hypothesis—1—miracula in ordine intellectuali pro unoquoque individuo multiplicaret, imò et—2—miracula externa pariter multiplicanda requireret, ad discernendas veras inspirationes à phantasiis et imposturis quæ, quâdam veluti æmulatione, ultra modum certè pulularent, — nisi fortè libertatem ejusque individui cogi vel tolli velis. (Cfr dicta in *Tr. de verâ Rel.*, p. 63, in fine n. 26).

Ergo supradicta hypothesis repugnat solitis Providentiæ viis ; — maximè quum scopus intentus, i. e. conservatio Religionis, obtineri possit multò magis ordinatè per assistentiam Auctoritati constitutæ simpliciter datam (1)

cessaire de croire à quelque chose pour être Protestant (1874, Oudin), p. 131-145.

(1) Rectè illic Nicole : « Il est bien plus de l'ordre de Dieu de préserver ver d'erreur dans la décision des points de foi les chefs d'une Eglise qui possède la plus éminente autorité qui soit au monde, et qui suit dans cet examen les règles de la raison, que d'en garantir des particuliers igno-

Idem verò 2° supradicta hypothesis omninò à Christi ordinatione aliena probatur *è factis* : illam enim Spiritùs Sancti inspirationem vel assistentiam cuique passim dandam certè non omnibus et singulis illam expectantibus ita passim dari satis patet, è mirificis nempe ipsorum contradictionibus ac discordiis (1).

Ergo denique de *inspirazione* dicendum est quod jam de *scriptis monumentis*, scilicet, *non hoc esse medium per se conveniens, nec à Christo ordinatum ad Religionis suæ conservationem.* — E contrà autem

19. — III° *Auctoritas aliqua vivens et infallibilis medium videtur convenientissimum et à Christo adhibendum ad conservationem christianæ Religionis in mundo.* — Nempe

1° *medium videtur convenientissimum, utpote naturæ humanæ valde accommodatum. Huic enim ut jam in Tr. de*

» rants et audacieux qui auraient la témérité de juger de la foi sans examen sur les premières lueurs dont leur imagination serait frappée. L'un » et l'autre ne se peut faire, à la vérité, que par une protection particulière » de Dieu et par une espèce de miracle. Mais l'un est un miracle caché sous » les voies humaines et sous les règles communes de la prudence; ce qui est » conforme à la conduite ordinaire de Dieu. L'autre serait un miracle visible ou plutôt une multitude de miracles cachés sous la conduite du » monde la plus irrégulière, la plus imprudente, et telle que jamais des » hommes sensés ne l'ont suivie en aucune matière importante. » (*Les Prét. Réformés*, p. 1^{re}, ch. ix).

(1) V., v. g., ap. Mœhler (*Symbolique*, t. II, § LXXV, p. 313), Wesleyi et Whitefieldi, *Methodismi* principium, contradictiones et mutuas nec non verè facetas obstationes. — « J'ai reçu le don de l'Esprit, inquit Whitefield, et je sens qu'il n'y a point de prédestination absolue. » — Ad hæc autem Wesley : « Cesse, je t'en avertis très-humblement, cesse de t'opposer à la doctrine de la prédestination. N'est-il pas vrai que tu n'as pas reçu le témoignage de l'Esprit? tu ne peux donc juger dans cette matière. Pour moi, je l'ai reçu ce vivant témoignage, et je crois à la prédestination..... Je tiens ma doctrine de Jésus-Christ et des Apôtres; c'est le Seigneur qui l'a mise dans ma bouche et dans mon cœur....., etc., etc. » — Ambo ab invicem sese demùm separarunt.

verâ Relig. dictum est (p. 50), tam necessaria est auctoritas quàm infanti necessarium est gremium matris (1). — Quænam verò auctoritas? — Certè — 1 — auctoritas *vivens*, vivens nempe ac loquens, hujus instar matris quam cuique nostrum in hunc mundum intranti adesse fecit Deus ut ab eâ primùm doceremur. — Et hujus quidem auctoritas fallibilis erat, sed tamen necessaria; nam ut ait S. Augustinus (*De utilitate credendi*, c. xvi, n. 34), « quam » diu intelligere sincera non possumus, auctoritate quidem decipi miserum est, sed certè miserius non moveri. » Homini autem cogitare incipienti natura rursus expetit ut præstò sit altera mater, — corde verè et voce mater, — sed cui jam in his quæ quàm maximè nostrâ referunt, planè possimus fidere, cujus proinde auctoritas sit non modò vivens, sed et — 2 — *infallibilis*. Namque, ut ait Bossuet : « Notre esprit naturellement incertain et devenu » par ses incertitudes le jouet de ses propres raisonnements, a besoin dans les questions où il y va du salut, » d'être fixé et déterminé par quelque autorité certaine » (*Hist. univ.*, 2^e p., ch. xxxi (2)). — Nil igitur naturæ humanæ magis convenit quàm tale institutum; nil magis exoptabile quàm tale complementum : nec mirum si Deus, utpote unus idemque naturæ simul et gratiæ auctor, *instituta naturæ*, ut sic dicam, ita in ordinem gratiæ transtulerit ac compleverit (3).

Et certè hujus viventis simul et infallibilis Auctoritatis ope, cætera *media* quæ per se minimè convenientia ac

(1) Cfr S. Augst., *Confess.*, l. VI, c. v, n. 1.

(2) Cfr et ea quæ profundè ac eloquenter evoluit R. P. Newman : *Hist. de mes opinions religieuses*, Ve p., versùs init., p. 371-378.

(3) V. Nicole : *Les prétendus réformés*, 1^e p., ch. xv : *Que l'impression de l'autorité étant si forte sur l'esprit des hommes, Dieu s'y est accommodé, en faisant qu'il fût juste de se soumettre à l'autorité.* — Cfr et infrà in hoc Tract., cap. iv, art. 1, coroll. : *Quid sit Ecclesiæ relatè ad genus humanum.*

sufficiëntia deprehendimus, jam verè utilia fient atque, ubi opus erit, per hanc supplebuntur. Ipsa quippe *Scripturas* jam tutò determinabit, interpretabitur et explicabit; ipsa *Inspiraciones*, si quæ fortè dentur, dijudicabit; ipsa verò imprimis *per se* doctrinam Christi puram atque integram servabit, omnibus exponet ac pro temporum necessitatibus evolvat (1).

Confirmatur etiam necessitas *auctoritatis viventis*, ex ipsà agendi ratione Protestantium, apud quos, de facto, non tantùm Scriptura legitur, aut inspiratio Spiritus Sancti expectatur, sed et ministri catechisant, prædicant, et fideles (si sincerè fateri velint) non alio generatim medio sibi religionem aliquam efformant quàm è prædicatione pastorum suorum (2). — Imò, ut sapienter observat Balmes (*Le Protestantisme comparé au Cathol.*, ch. xiv in fine) « il faut regarder » comme un grand bien, que les premiers Protestants, nonobstant » leur envie de renverser toutes les pratiques de l'Église, aient con- » servé celle de la prédication. » Secùs enim, de omnibus religionis et moralitatis principiis actum esset apud populos, non obstante profecto vanà *bibliorum* diffusionem (3). — Verùm nec minùs evincitur

(1) Hinc quidam è Protestantibus citatus à D^o St.-Réné Taillandier (*Revue des deux mondes*, 1^{er} août 1863) : « Il y a quelque chose de plus » humain et de plus divin tout à la fois, quelque chose de plus acceptable » pour la pensée et de plus séduisant pour l'imagination, dans l'idée d'une » vaste institution animée de l'esprit d'en haut, et, sous l'action de cet » esprit, se développant selon les circonstances, se prêtant aux mouve- » ments et aux besoins de l'humanité; il y a là, dis-je, quelque chose de » plus grand et de plus vrai qu'une doctrine d'après laquelle l'esprit de » Dieu est comme relégué et captif dans une lettre morte. »

(2) Cfr Nicole : *Les prêt. réformés*, 1^{re} p., ch. xiv : « La voie de l'au- » torité est si naturelle à l'homme que ceux même qui la rejettent et qui » la combattent, ne sauraient s'empêcher de la suivre; et le désaveu qu'ils » en font, ne prouve autre chose sinon qu'ils ne se connaissent pas eux- » mêmes, et qu'ils n'ont pas assez de lumière pour pénétrer les vraies » causes de leur persuasion. »

(3) Hinc quidam recentiores inter Anglicanos ultrò agnoscunt Scripturam non sufficere ad docendam doctrinam sine magisterio Ecclesiæ, cujus, licèt juxta ipsos fallibilis, est saltem doctrinam proponere, ut illa deinde

necessitas *infallibilitatis*, — tum ex eo quòd ipsi Protestantes, ad reprimendos dissidentes suos, aliquando non timuerint infallibilitatem Ecclesiæ promissam allegare ac sibimet arrogare inconsequenter quantumvis et impotenter (1), — tum ex eo quòd, hujus reapse defectu, non potuerint denique omnis ferè Christianismi positivi vitare divisionem ac dispersionem. Itaque, quemadmodum confirmatur ex eorum agendi ratione necessitas *auctoritatis viventis*, ita et ex eorumdem insufficientiâ, necessitas *auctoritatis infallibilis*. — Quæ demùm

2^o *medium videtur reapse à Christo adhibendum*. — Ex dictis enim nullum aliud apparet quo Religio Christi conservari poterat in terris. Ergo vel hoc ipsum adhibendum fuit à Christo; vel dicendum est, — in quantum pronuntiare possumus, — Christum minimè curasse de conservatione Religionis quam mundo post tantam præparationem afferebat, quamque *prædicandam omni creaturæ* mitterebat (Marc., XVI, 15), jubens ut *omnes gentes docerentur servare omnia quæcumque mandaverat* (Matth., XXVIII, 19, 20)... Et id quidem dixerunt plus minùsve expressè non pauci è Protestantibus hodiernis (sicut in Objectionibus exponetur) : at certè nullo modo dicit quisquis verè in Christum credit tanquam Dei ipsius ministrum et æternæ Sapientiæ organum ad definitivam operis Dei his in terris constitutionem (2). — Ergo denique eo ipso quo judica-

verificetur per Scripturam. Ita doctor Hawkins, quem cl. P. Newman testatur multùm sibi in causâ fuisse ut *societati biblicæ*, utpote inutili, nomen non ampliùs daret (V. Newman : *Hist. de mes opinions religieuses*, p. 44).

(1) V., v. g., Lutheri epistolam ad Albert. Pruss. contra *Sacramentarios*, cit. ap. Mœhler : *Symbol.*, § XLVIII, t. II, p. 122; itemque synodum Calvinistarum batavorum Delph., a. 1618, adversùs *Remonstrantes*, cit. ap. Bossuet : *Variat.*, l. XIV, n. 75.

(2) Nec malè ratiocinabatur scriptor ille protestans qui dicebat : « Il » faut nécessairement admettre que la Divinité qui aurait donné une ré- » vélation à l'homme, aurait dû songer aussi à empêcher que le sens de » cette révélation ne fût abandonné à l'arbitraire d'un jugement subjectif; » atque inde, quum suis implicatus opinionibus præconceptis, non hoc di-